



## **Politicorvm Libri Decem**

**Contzen, Adam**

**Colonia, [1621]**

Cap. XII. Litterarum studium non obesse politicæ prudentiæ siue togatæ,  
siue militari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

*Tyranni sine vi-  
ta periculo  
imperium  
dimittere  
non possunt.*

Periander quidem Corinthios tyrannum egit  
fateor, sed metu crudelem; Nam potestatem à Cypre-  
lo patre regiam, sibi quasi iure hereditario delatam  
subterfugere integrum non fuit, ne se & paternos a-  
micos, totamque cognationem furori corruptissime  
plebis permitteret. Urbem tamen adornavit, bella  
assidue gessit, annos quadraginta regnum tenuit, &  
quemadmodum Augustus laffa crudelitate clemen-  
tiam postremo admittit. Aristoteles sane eius crudele  
paradigma, cum Thrasybulo nihil responderet, sed  
eminetiores spicas defecando segetem æquaret lib.  
3. Polit. cap. 13. defendit. Pittacus Mitylenis Rempu-  
blicam vitæ modestia, ac doctrina administravit, ty-  
rannidis nulla suspicione. Nec Bias contra Prienen  
patriam aliud deliquit, quam, (si hoc delictum est)  
cum ea capta fugiens diceret. *Omnia mea mecum porto.*

*Chilo ty-  
rannus non  
fuit.*

Chilo Lacedæmonius qui ex sapientibus vnus  
fuit, nulla tyrannide vsus est. Nisi hæc eius dicta, quæ  
Delphis consecrata sunt, tyrannica habeantur. *Nosce  
teipsum, nihil cupias nimis. Aeris alieni & litis comes est miseria.*  
Lætitia vi mortuus est, audito filium esse victo-  
rem ludis Olympiacis, itaque funus eius vniversa  
Græcia profecuta est. Quod tyranno nunquam præ-  
stitisset, Nomen enim tyranni, etiam cum viribus de-  
stitutus est, odiosum est.

Cleobulus, siue Cleobolus longe, à tyrannide ab-  
fuit; Amicis atque inimicis dixit esse benefaciendum.  
Inimicis, vt amicis; amicis, vt amiciores reddamus.  
Tyranni inimicos tollunt, amicis diffidunt, adeoque  
inimicos efficiunt.

Thales Milesius ne imperium quidem tenuit, pa-  
cate vixit, in summa senectute dum ludos spectat,  
Olympiade 8. decessit.

Athenio solutis ergastulis, & volonibus Drepa-  
num subegit, vir prudens, & doctus, sed causa belli in  
obscurum est. Nullo igitur modo probatū est Philoso-  
phiā, atq; eruditionem causam esse tyrannidis; quæ-  
admodum nec figlina tyrannos fingit, quamquam fi-  
guli progenies fuerit Agathocles. Aspirare tamen fa-  
cilis ad imperium possunt docti, cum historias, affe-  
ctus, mutationes, dolos etiam, fraudesque ignorare  
non possint, omnemque regnandi artem calleant, si  
abstinentia pietasque, non est mirum eos facile ty-  
rannidem occupare, occupatam artibus politicis se-  
curam reddere.

## CAPVT XII.

### *Literarum studium non obesse politica pruden- tia siue togata, siue mili- tari.*

*Literarum  
studia pruden-  
tia non  
obstant.*

*Patrocinii  
ignorantia.*

§. 1. **E**RAT hoc quod secundo loco nobis imperi-  
ti obiciunt. Atque interdum etiam viri do-  
cti. Neque tam plana est responsio, quam multis vi-  
detur. Multorum enim errores, quædam studiorum  
nos reprehendere cogunt. Mathematicos nonnulli  
ab Republica remouent, quia ἀπειρολογίας ἀποδεικνυ-  
κούς subtilissimis demonstrationibus affueti, easdem  
in Republica lineas tenent, cum tamen æquitatem,  
Epistecian, dissimulationem, aliaque versatilis illa vr-  
bium rota postuler. Grammaticos, vt viles aspernan-  
tur, Philosophos, vt scepticos, poetas, vt furibundos,  
Rhetores, vt turbulentos, Iurisperitos, vt litium fa-  
tores, Theologos, vt libertatis inimicos. Sola apud il-  
los ἀμύμωτος, & ἀνομιος absque culpa, & reprehensio-  
ne est ignorantia, diua rusticana. Etenim memini o-  
lim Græce iucundas fabulas, de scholasticis circum-  
ferri solitas; quidam enim speculationibus adeo in-  
dulgent, vt ad victum, consuetudinemque humanā  
sint penitus inidonei. Quod non est artium, sed ho-

minum vitium. Multas enim res nimium conci-  
dunt, atque ad inutilem subtilitatem perducunt, at-  
que ita in vincula potius animum ducunt, quam su-  
bleuant, & attollunt. In literis vsu venit, quod om-  
nibus in rebus. Vitiosum est, quod nimium est. Ni-  
mium est, quod animos vtilibus destinatos inutili-  
bus detinet. Nam de illis, inquit Senec. de breuitate vi-  
tæ cap. 13. nemo dubitabit, quin operose nihil agant, qui in li-  
terarum inutilium studiis detinentur: quæ iam apud Romanos  
quoque magna manus est. Græcorum iste morbus fuit, querere  
quem numerum remigum Vlyxes habuisset? prior scripta esset  
Ilias, an Odyssea? Præerea an eiusdem essent auctoris? Alia de-  
inceps huius nota: quæ siue contineas, nihil tacitam conscien-  
tiam iuuant, siue proferas, non doctior videberis, sed molestior.  
Nam hi tales quo plus opera impendunt, eo se ma-  
gis impediunt. Et in labyrintho, quo quisque magis  
ad exitum festinat, ita se magis implicat, longiusque  
abest à ianua. Multi non inuenerunt necessaria, quia  
superflua quæsiuerunt. Multum illis, inquit Senec. Ep.  
45. temporis verborum cauillatio eripuit, & capiosa disputa-  
tiones, quæ acumen irritum exercent. Nectimus dolos, & ambi-  
guam significationem verbis alligamus, deinde dissoluimus.  
Tantum nobis vacat: iam viuere, iam mori scimus? Tota illo  
mente pergendum est, vbi prouideri debet, ne res nos, non ver-  
ba, decipiant. Quid mihi vocum similitudines distinguas, qui-  
bus nemo vnquam, nisi dum disputat, captus est: res fallunt, il-  
las discernere.

Miseritima diligentia Tiberii visa est erudit. Suet.  
cap. 70. Maxime curauit notitiam historiae fabularis, vsq; ad  
ineptias, atq; derisum. Nam & grammaticos, (quod genus ho-  
minum præcipue, (vt diximus) appetebat, eiusmodi fere qua-  
stionibus experiebatur: Quæ mater Hecuba? quod Achilli nomen  
inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare sint solite? Et quo  
primum die, post excessum Augusti, curiam intrauit, quasi pie-  
tati simul ac religioni satisfacturus, Minos exemplo, ture qui-  
dem ac vino, verum sine tibia supplicauit, vt ille olim in  
morte filii.

Non melius ille Archiepiscopus, de quo Lælius Archiepisco-  
Biscola noster in horis successibus l. 3. c. 1. Noui ego Pata-  
ui, cum Theologia operam darem, florentissima in Italia vrbs  
Archiepiscopum atate iam prouecta, doctum hominem, inge-  
nosum, acutum, grauem, qui cum si de Theologia, deque diui-  
na sapientia, sermones velles cõferre, frontem obducere, superci-  
lium attollere, manifestis indicis auersari huiusmodi oratione  
vidisses, at si quidpiam eum eo de modalibus, de conuersionibus,  
de mystionibus, de maximo, de minimo, de proportionibus  
& gradibus actionis, passionis, reactionis, repaisionis, commu-  
nicare in animum induceres, ex hilarare vultum, exultare,  
triumphare gaudio.

Noctes & dies senex hic, & grauis Archiepiscopus, totus e-  
rat in explicanda ratione modalium, scribebat de eo argumē-  
to, rescribebat, cum hoc atq; illo conferebat huius explicationē  
reprehendebat, illius commendabat, nec sibi vnquam satisfacere  
bat, & in eo tamen non quiescebat, si quid aliis videretur sibi  
inuensisse probabilius, quod mox etiam mutabat: instituit itē  
de causa atq; origine risus tractationem, in qua, quoniam alio-  
rum omnium veterum, ac recentium Philosophorum consu-  
tans opiniones sibi visus erat rem ipsam, quasi acu, terigisse, ita  
sibi placebat, vt magnum Turcarum Imperatorem, dicere pos-  
ses eum ad Christi fidem religionemque adiunxisse.

De illo ipse recte iudicat, cū Stob. Ser. 8. δὲ ἀλλὰ βρο-  
τὸν ὁλοσχερέστερον μὲν ἀνοιδίαν, καὶ ἀνοιδίαν δὲ πᾶν μὲν καὶ τει-  
ρεῖται, πᾶν γὰρ ὅτι καὶ φιλοσοφία ἀνοιδία. Hellebo-  
rum, cum grandiusculis partibus sumitur, purgat; cū  
vero in minutissima teritur, suffocat, sic inanitas, & ni-  
mia in philosophia subtilitas.

§. 2. Has ob causas olim quoque artes illæ male  
audierunt. Zeno in principio, τὴν ἐγκύκλιον παι-  
δείαν ἀχρεῖον ἀποφάσκει. Encyclicas artes, seu liberales  
inutiles desinit. Et Stoici tamen in acuminibus nimii  
erant, vt mirum sit, Xenonem Stoicorum principem  
ita sensisse. Verum est, multa inania doceri ab istis.

Error est ni-  
mum spe-  
culari.

Inanis ar-  
gutarum  
cura scien-  
tias insa-  
nat.

Se & im-  
perio negle-  
cto ludicris  
detinetur.

Archiepisco-  
pi ridicula,  
& impro-  
banda cura

Ipsi Stoici  
artes da-  
mnant.

Annos Achilles, & Patrocli inquitunt, ubi Vlyses erravit, de quo recte Bion apud Stob. Serm. 8. Τὸ γὰρ μακρὸς χρόνος ἐδιδασκείτο τὸν δὲ ἀπὸ τῶν πλεονέκτων, πορὸντος ἐπὶ τὰ μὲν δὲ γήματα. Grammaticos errores Vlysis querentes, suum non querere, nec animadvertere hoc ipso se errare, quod circa inutilia laborant. Totum hoc genus describit & damnat Seneca Epist. 88. At enim delectat, artium notitia multarum, tantum itaque ex illis retineamus, quantum est necessarium, an tu existimas reprehendendum, qui superuacua sibi comparat, & pretiosarum rerum pompam in domo explicat: non putas eum, qui occupatus est, in superuacua literarum supellectile? Plus scire velle quam sit satis, intemperantia genus est. Quid, quod ista liberalium artium consecratio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit, & ideo non discites necessaria, quia superuacua didicerunt? Quatuor millia librorum Didymus grammaticus scripsit: miser si tam multa superuacua legisset. In his libris de patria Homeri queritur, in his de Aeneae matre Vera: in his libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit: in his, an Sappho publica fuerit: & alia, quae erant dediscenda, si scires. I nunc, & longam esse vitam nega. Sed ad nostros quoque cum perveneris, ostendam multa securibus recidenda. Magno impendio temporum, magna alienarum aurium molestia, laudatio hac constat: O hominem literatum! Simus hoc titulo rusticior contenti: O virum bonum! Itane est? annales evoluam omnium gentium, & quis primus carmina scripserit, quarum: quantum temporis inter Orpheam interfit & Homerum, cum fastos non habeam, computabo: & Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognosciam, & etatem in syllabis conteram? Itane in geometria pulvere barebo? Adeo mihi praeceptum illud salutare excidit: Tempori parce! Hac sciam, ut quid ignorem? Appion grammaticus qui sub C. Caesare tota circumlatus est Graecia, & in nomen Homeri ab omnibus civitatibus adoptatus, aiebat: Homerum utraque materia consummata & Odyssaea, & Iliade, principium adiecit operi suo, quo bellum Troianum complexus est. Huius rei argumentum afferebat, quod duas litteras in primo versu posuisset ex industria librorum suorum numerum continentes. Talia sciat oportet, qui multa vult scire. Non vis cogitare, quantum temporis tibi auferat mala valetudo, quantum occupatio publica, quantum occupatio privata, quantum occupatio quotidiana, quantum somnus. metire etatem tuam: tam multa non capit. De liberalibus studiis loquor: philosophi quantum habent superuacui, quantum ab usu recedunt? Ipsi quoque ad syllabarum distinctiones, & conjunctionum ac propositionum proprietates descenderunt, & invidere Grammaticis, invidere Geometris. Quidquid in illorum artibus superuacuum erat, transfudere in suam. Sic effectum est, ut diligentius sciant loqui, quam vivere. Audi quantum mali faciat nimia subtilitas, & quam infesta veritati sit. Protagoras ait, de omni re in utramque partem disputare posse, ex aequo. & de hac ipsa, an omnes res in utramque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait, ex his quae videntur esse, nihil magis esse, quam non esse, Parmenides ait, ex his quae videntur, nihil esse in uniuersum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit: ait, nihil esse. Circa eadem sere Pyrronibus versantur, & Megarici, & Eretrici, & Academici, qui novam induerunt scientiam, nihil scire. Hac omnia in illum superuacuum studiorum liberalium gregem coniecit. Illi mihi non profuturam scientiam tradunt, hi spem omnis scientiae eripiunt: satius est superuacua scire, quam nihil. Illi non preferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum: hi oculos mihi effodiunt. Si Protagoras credo, nihil in rerum natura est, nisi dubium: si Nausiphanes, hoc vnum certum est, nihil esse certi: si Parmenides, nihil est praeter vnum: si Zenon, ne vnum quidem. Quid ergo nos sumus? quid ista quae nos circumstant, alunt, sustinent? Tota rerum natura umbra est, aut inanis, aut fallax. Non facile dixerim, utrum magis irascar illis, qui nos nihil scire voluerunt: an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil scire.

Literae sunt M. & H. in voce MHNIN, quae numerum 48. conficiunt. Apud Plutarchum in conuiuium, alius notat, primum versum Iliados, & primum

Ex multis  
utilia discere,  
nam doctus  
non est, qui  
non profici-  
entia didi-  
cit.

Quatuor  
millia libro-  
rum Gram-  
maticorum

Tempori  
parcedum.

Philoso-  
phiam mul-  
ti in verba  
absumunt.

Absurda ex  
nimio stu-  
dio.

Odyssae constare totidem syllabis, nempe 17. & vltimos eorumdem librorum 16. Quis ferat subtilitatem, veritatis inimicam? quis spinosas ineptias? Animis obest illa iactatio, novam anxietatem, & curam inducit. Tu mihi verba (Senec. Epist. 48.) distorques, & syllabas digeris. Scilicet nisi interrogationes vaferrimas struxero, & conclusionem falsa à vero nascens mendacium astrinxero, non potero à fugiendis petenda scernere. Pudet me, in re tam seria senes ludimus. Mus syllaba est: syllaba autem caseum non rodit, mus ergo caseum non rodit. O pueriles ineptias! In hoc supercilia subduximus: hoc barbaram demisimus? in hoc est quod tristes docemus & pallidi?

§. 3. Hac viri cordati, viri magno animo praediti, in literis culpant. Optimo iure ac merito. Sed literarum ille error non est, sed animorum, bono suo male vrentium, & à veris, ad inania declinantium. Manet liberalibus studiis ut sua dignitas, utilitasque, ita modus, & mensura. Mihi hoc in genere tria dicenda occurrunt, quibus tota ratio studiorum illorum continetur.

Primum est. Omnia illa studia praeparamenta esse, & ut dicebat Xenocrates αὐτὰς τῶν φιλοσοφίας ἀσφας verae Philosophiae, itaque in his exercendam iuuentutem, ut non in his listat, sed per haec ad maiora tendat.

Secundum. Non illam stultitiam ex literis disci, sed ad eas discendas adferri, & discendo intendi, augerique.

Tertium. Non inutile esse Reipublicae, quosdam in nugis illis totam vitam transigere. Primum mihi concedunt omnes, secundum dubium est, tertium paradoxum.

Singula tamen astruam. Et primum quidem Seneca fatetur. Epist. 88. De liberalibus studiis quid sentiam, scire desideras. Nullum suspicio, nullum in bonis numero, quod ad eas exit. Meritoria artificia sunt, haec vtilia, si praeparant ingenium, non detinent. Tamdum enim istis immorandum est, quam ad nihil animus agere maius potest. rudimenta sunt nostra, non opera. Quare liberalia studia dicta sint vides, quia hominibus libera digna sunt. Ceterum vnum studium vere liberale est, quod liberum facit, hoc sapientiae, sublime, forte, magnanimum. Cetera pusilla, & puerilia sunt.

Et: Quid ergo? nihil liberalia nobis conferunt studia. ad alia multa: in ad virtutem nihil. Nam & haec viles ex professo artes, quae manu constant, ad instrumenta vitae plurimum conferunt, tamen ad virtutem non pertinent. Quare ergo liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant. Quem admodum prima illa, ut antiqui vocabant, literatura, per quam pueri elementa traduntur, non docet liberales artes, sed mox percipiendis locum parat: sic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt.

Hoc igitur solum habent utilitatis, nam ingenia exercent, excolunt, sagacitatem acciunt; nec vlli nisi per illas artes transitus est ad perfectam sapientiam. Philo recte de congressu erudit: gratia, ὅσπερ ἐν δίκῃ αὐτοῖς ἀσχεῖνται κλισιάδων, ἐν ᾗ πλέσται τὰ ἀποδείκναι, αὐτὰ ὅντιν ἑκάστην ἐρεσι. ὅπως δὲ ἀρετῆς ἀσχεῖνται τὰ ἐν κλισίᾳ; ταῦτα δὲ ὁδὸς ἐστὶν εἰς εὐεχὴν φέρουσα. Habent sane domus sua atria, suburbana ciuitates, per quae introitus est, sic liberales artes propositas habet doctrinas Encyclicas, & virtuti viam sternunt.

Qui igitur in hisce rebus haerent, idem faciunt, quod illi qui amenitate diuerforiorum alleci, patriae solum negligunt. Societatis nostrae scopus est, eorum qui in ea viuunt, cetera studia ad Theologiam dirigere, Conf. p. 4. c. 12. Cum Societatis atque studiorum scopus sit, proximos ad cognitionem, & amorem Dei, & salutem suarum animarum iuuare; cumque ad eum finem, medium sit, magis proprium sit facultas Theologiae; in hanc potissimum Societatis vniuersitates incumbunt, ac diligenter per idoneos admodum praeparatores, quae ad Scholasticam doctrinam, & sacras scri-

Ineptia su-  
dia pueros  
faciunt.

Modus in  
omnibus re-  
bus seruandus, prae-  
cipue literis.

Studia libe-  
ralia sunt  
ad virtutis  
praeparamen-  
ta.

Liberales  
artes via ad  
virtutem.

Societas  
studia  
ad Theolo-  
giam diri-  
git.

scripturas periment, ac etiam expositiva, quae ad hunc finem nobis prefixum conveniunt, pertractabunt.

Et cap. 5. Cum doctrina, quae in hac Societate addisitur, hic scopus sit, suis & proximorum animis Dei favore aspirante prodesse; hac erit in viuiusculum, & in particularibus personis mensura, ex qua quibus facultatibus addiscendis nostri incumbere, & quo usque in eis progredi debeant, statuatur. Et quia generatim loquendo litera Humaniores diuersarum linguarum, Logica, idem naturalis ac moralis Philosophia, Metaphysica, & Theologia, tam quae Scholastica, quam quae positiva dicitur, & Sacra scriptura ad id iuuant; harum facultatum studis operam dabunt, qui ad Collegia mittuntur; & quidem maiori cum diligentia illis vacabunt, quae ad finem praedictum, habita ratione temporis, loci, & personarum &c. supremus Moderator studiorum, magis in Domino conuenire iudicabit.

Minora ita discuntur, ut ad magna veniant.

Nemo prudens iudicat litterarum illam solum vsum esse, ut littera discantur.

Aliis propofita est medicina, aliis legum cognitio, quisque ita minora discat, ut ad magna se praeparat. Interim certus sine his non posse eos intelligi, qui maiores scientias profitentur.

§. 4. Alterum est; quod dubium multis esse, confessus sum; Eos qui in hisce minoribus scientiarum minutis haerent, ad eas attulisse errorem, non ex scientiis illis didicisse. Qui enim fieri potest, ut quispiam dum prima rudimenta degustat litterarum, arbitretur, nullum esse earum vsum, nisi ut numerentur, atque inter se componantur? Quis mediocriter prudens iudicare potest, argutias tantum ad tormenta ingeniorum inuentas esse? Nonne plurimi sunt cellis, & vegetis ingenii, maximarum scientiarum consulti, qui frivola illa non ignorant, atque interdum animi causa in illis ludunt; puerorumque anxie respondendum ingenia explorant? Cum igitur ingenia plerorumque exacuatur, non obtundat illa, quam didicerunt subtilitas, cur pauculos ita demeraret, si mentem ad litteras attulissent? oportet enim ut Philonides aiebat:

Γεγυμναται μαθητῶν, ὃν τὸν μαδόντα νῦν ἔχεν.

Litteras discere, & discitum adferre mentem. Itaque quos in his perpetuo delidere animaduertis eos maiora non posse, aut nolle iudicabis. Ne haec quidem sine litteris potuisse. Itaque continuo duplex genus Grammaticorum, & Philosophorum se prodit. Primum moderatum, eruditum, politum, prudens, quod precepta ad eloquentiam, historiarum, oratorum, poetarum cognitionem, hanc ad superiores scientias, victorum fugam virtutumque amorem refert: Quos

Qui parua refert ad magna, vtili labore sagit.

viros, etsi in Grammatica versentur, Reipublicae columina dicere nihil vereor. Alterum genus est laboriose miserum, syllabarum aucupius, febriculosa eruditionis argutis latum. Vno verbo ineptis operosissimis intricatum. Quibus hoc Aristippeum crebro inculcandum. Non qui plurimum comedunt, aut exercentur, melius valent his qui necessaria assumunt: sic qui non plurima, sed qui vtilia legunt censendi sunt eruditi.

Frustra tamen illorum infania, literis imputatur. Nam in omnibus artibus etiam illiberalibus, est laboriosa quaedam, & inepta subtilitas. Quam paratam homini natura vestem esse voluit: e pelle est, vel lana animalium. At quam multa vestiendi genera inuenit ocium, & luxuries; vno anno vix elaboratur toga, cuius materiam superat opus. Ipsi sese alicui intueantur, quantum temporis caerimonii impendunt, titulifque. Omni in re nimium, omni in vita superuacuum est. Ephippia, & freni, & vertagorum milli cutioso sumptu grauantur. Atque eo iam malum increuit, ut necessaria illa videantur; & egeret se ille putet, cui defunt, in istas ineptias, impense. Quemadmodum igitur in omnes omnium rerum, actionumque artes, ab hominum stultitia superuacua inducuntur, itaque quoque ex eadem causa artes liberales vexantur.

Nulla ars est, quam non grauet superuacua.

Tertio loco dixi. Non inutile esse Reipublicae quorundam curas, ac labores in curiosis illis, inutilibus,

spinosis, tetricisque detineri. Quemadmodum nimia in artium liberalium tractatione diligentia alicui commodo feruit, optandumque principi, ut omnium artium etiam non necessariarum, habeat praestantissimos quosdam opifices, ita quoque paucos esse, qui in liberalibus artibus modum supergressi sint, ad multa conducit. Qui milium per toramen acus traiecit, facile certo ictu destinatum hostem feriet, qui Iliada totam nuci includere potuit, facile occultas literas suo principi ad obfessos conscribet, in fune ambulare qui potuit, per mœnia, & pinas hostium securus incedet. Qui nimius est historiae scrutator, ceteris tamen lucem praefert. Superuacua narrat Annæus ista. Primus nauali praelio vicit Duilius, Primus Curius Dentatus in triumpho duxit elephatos. Primus Claudius Caudex suauit nauem ascendere. Primus Valerius Corvinus ex vrbe victa nomen asumpsit. Primus Sulla Leones solutos in circo dedit. Primus Pompeius pugnam elephantorum duodeviginti dedit. Habent ista suam vilitatem, & iuuant occupatos. Sunt enim ociosi illi similes nomenclatoribus, qui dominis suis nomina prompte suggerunt, qui animos & clientes nominatum in ordinem redigebant, librosque ad manus semper habebant, ut meminisse possent, ingens & fastidiosus labor est tot nominum memoria, tot potentium, tot corporum tenum, sed tamen multos in eo aetas attrahit. Etiam tum illa professio. Pulsare superbas potentiorum fores, digere in literam senes orbos. Seneca Ep. 68. Et magis fuisse libros constat, tam clientum, quam potentiorum continentes nomina. Non dissimilis in his litterarum nimis curis est labor. Quia frequenter in rebus grauibis vsui est. Non ut minutis illis ingenia iuuentutis distraherentur, sed ut ludicia quaedam artium, sicut aliarum in Republica rerum seruentur. Nunquam in tali labore, tam tetrico, nimis erunt multi, plures in omni re alia, quam scientiarum curiositate delinquent.

Vtile est habere minutarum gnarum, sicut habere nomenclatores.

§. 5. Tunc igitur numerantem syllabas Homerorum versuum, disputantem de Helena post aurem macula, dubitantem de pudicitia Penelopes, scrutantem veteres lapides, scribentem trecenta volumina Dialectices, quatuor millia Grammatices in Republica feres. Ita plane, ut aliptem, ut tibicinem, ut cupediarum dispolitores, ut facierum fucatores: Honestior tamen est illa Grammaticorum curiositas, & multis crebro opportuna. Multoque magis Physicorum, & Mathematicorum.

Vsum quemdam habet nimia curiositas.

§. 6. Multo maior est virorum martiorum in literatos impetus, frangiamus, ocio languescere, fortitudinem imminui contendunt. Nec excusationem audiunt; neque enim sat rationis in armis, vadunt solida vi. Nec tamen cedere debent eruditi, praerogatiuam habent ab eo, qui ad omnium fastidium cecinit:

Militum erga studiosos animus.

Κεῖναι τὸν ἀνδρῶν, ὅτι τομώτερον ἀνδρῶν ἡ δόξα.

Cedant arma togae, concedat laurea linguae. Olim fortis viri tulit arma disertus: Achilles, Vlysses. Agamemnon non decem Aiaces, aut Diomedes, sed Nestoras optabat. Bella multa consilio, paucarum robore perficiuntur.

Sapius consilia bello, quam vires defuere.

Ὁ πλοῦς τοῦ λόγου ὁ δὲ τὸ μὴ ὄντι ἀνδρῶν ἡ δόξα.

Oratio gladius est viro acutior ferro. Bellatorem duo perficiunt, prudentia, & fortitudo. Sine fortitudine, prudentia resistere diu potest, sine prudentia, fortitudo nulla est, & quae eius vicem subit, audacia ruinam struit. Vere dictum.

Ἀλλὰ δ' ἀνεμώλιος ὁ ἀρετῶν.

Fortitudo insipiens est imbecillitas. Vere dictum est, Διπλὸν ὁρῶν οἱ μαδόντες γεγυμναται. Duplum cernunt, qui litteras didicerunt. In bello maxime est opus consilio, quia & celerissime, & prudentissime consulendum est. Celerissime, quia occasiones capiendae, & in arena consilium capiendum. Pudenter fime,

In bello celeri & prudenti consilio opus est.

sime, quia non licet his peccare; primus error capitalis est. Eruditus ex historia, ex Philosophia, ex stragematis, celeriter, & tutius rem decerneret, ceteri tardius. Error ille non militum est, sed rusticorum; solo furore opus esse in bello. Opus est Imperatore, qui militi gratus sit, qui feroces temperare, torpentes erigere, timidos firmare possit: qui socios retinere, duobios allicere, inimicos mitigare possit, qui hosti potentiam detrahare, socios suspectos reddere, ipsos inter se committere queat. Si aliud non esset bellum, quam acies, & in acie solis corporum viribus, more Andabatarum pugnaretur, forte minor esset humanarum rerum cognoscendarum necessitas. An tu obfuisse Xenophonti Philosophiam Socratis, & omnium historiarum cognitionem arbitris? Iulius Caesarideo tardius vicerit, quia doctrinam amauit? Luc. lib. 10.

Caesar bello  
& studiis  
clarus.

*Fama quidem generi Pharias uie duxit ad vrbes,  
Sed tamen & vestri. media inter praelia semper,  
Stellarum, caelique plagis, superisque vacanti  
Nec meus Eudoxi vincetur salsibus annis.*

Pericles Graeciae fulmen, annos quadraginta, eloquentia populum, fortitudine militem, utrumque prudentia gubernauit. Anaxagorae Philosophi, ille discipulus fuit. Dione vix meliorem virum vix sapienterem tyrannicidam Graecia agnoscit, at omnia illa ornamenta, Platonem se debere professus est. Maior eruditione, & nomine, Timotheus praestantissimus dux, ab Isocratis disciplina exiens, Graeciae res instaurauit. Architas Tarentinus, Philolaum, Xenophon Agefilaum erudit.

A doctis  
magni duces.

Athenienses Romam, de maximis rebus tres Philosophos miserunt, Carneadem, Critolaum, Diogenem, & de bello, & Societate, tamen maxime tractatio erat instituta. Zeno Eleates rem bellicam ex proposito docuit, atque ex eius Schola plurimi egressi sunt Tyrannicidae; iure, an iniuria, non disputo; hoc assero Scholam eius fuisse plateam Maortiam. Lucullus legendo, subito factus est imperator, & vires Mithridatis ita fregit, ut vincendum aliis traderet. Ipse Tullius, & triumphum ambiuit, & prudentius de bello ciuili, quam Pompeius iudicauit.

Legendo  
facti duces.

§. 7. Ego nec Virgilium, nec Horatium imbelles fuisse arbitror, Ennium etiam fortem virum. Alcæus, Stesichorus, Archilochus, bello etiam nobiles fuere, quamuis posterior potius clypeum relinquere, quam vitam decreuerit.

Paci igitur, & bello literarum ex aequo necessaria sunt. Improbe fecit Agrippina, cum Neroni imperato negauit conuenire philosophiam, timebat enim ne literis excultus, & potestate matris citius exiret. Nec recte Carolus filium, Ludouicus Vndecimus scire plus noluit latine, quam illa verba: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.* Nam certe multa in eius regno desiderata sunt.

Bellicosi im-  
peratores  
literati.

Non abducunt à rebus gerendis literæ, si cum prudentia iungantur. In literis enim & acta, & agenda discimus, & ante omnia oculi detestari. Seuerus, Pertinax, Antoninus, quod literati fuere? Tacito acclamatum est. *Quis melius, quam literatus imperat?* & optime sane imperasset, nisi visitata perfidia, eum de medio sustulisset. Gordianus orator, & poeta fuit, Mithrihem praefectum fecit, & eius consilio recte imperium administrauit. Claudam gemmea sententia Iulii 2. Pontificis. *Literarum scientiam in plebeis argentum esse, in nobilibus, & principibus gemmas.* Addam ego; in ducibus victoriam esse.



## CAPUT XIII.

## Academias, &amp; Gymnasia publica instituenda esse.

§. 1. **A**CADEMIAM ab Academo Heroe ita dictam, Eupolis, Timon, aliique testantur, erat in suburbano Athenarum, à porta Dypilo lex stadiis. Locum fuisse insalubrem, & aridum refert Cælius. Et Platonem excusat, qui studiis delegerit, quod eo modo cum prospera nimium corporis valetudine vteretur, eam premere luxuriantem, loci incommotis velle. Verum cum maxime studiosis sit opus commoda valetudine, atque aura, Plato autem celebritatem, frequentiamque Academiae suae quereret, persuadere mihi non possum, discipulos eum deterere, & abigere quenquam in amoenitate Gymnasii voluisse. Quotus enim quisque est, qui non valere potius, quam discere malit? Aut qui discendi causa, pestilentiosam domum adire velit? Alia igitur causa querenda, cur Palladi sacrum Gymnasium, in Academia instituerit: Quam ego esse existimo, quod ἐμεγαλοπόλεον ἁδῶν locus quæreretur quietus, à turbis nautarum, à luxuria hororum urbanorum; nam mentis exercitationes quiete, & solitudine gaudent. Nec ad manum alius erat, aut in potestate Platonis. Verum de salubritate, atque amenitate Academiae, paulo aliter sentiendum est, si Plutarchum in vita Cimonis audimus, Is enim locum aridum, ductis aquis purissimis irriguum fecit, & nemore vmbroso conseruit. Tria fuere Athenis Gymnasia, Academia, Lyceum, & Stoa, Aristotelis peripatos erat in Lyceo, in porticu docebat Zeno princeps Stoicorum, Platonis erat Academia, quæ nomen retinuit, ut omnia clara, & Monarcharum immunitatibus fundata Gymnasia Academiae vocentur. Academia constat docentium, & discipulorum multitudine, priuilegiis, & quadam velut Republica literatorum.

Academia  
Athenis.

An loco in-  
salubri.

Academia  
amanita.

§. 2. Erigenda Academiae ius est penes Pontificem, & summos Monarchas, cunctaque Respublicas, quoad literas, & scientias ciuiles; nam quod ad ius sacrum, Theologiamque spectat, eius cum auctoritate docendi, potestas, à summo religionis antistite peti debet.

A capituli-  
ligionis se-  
era Aca-  
demia pen-  
det.

§. Thomas tract. contra impugnantes religionem. Ad Papam, Regem, Principem eam potestatem refert.

Ad principes quod attinet, ad eos pertinet, ut statuunt, quas facultates in prouinciis suis doceri velint, quos in illis versari; priuilegia, & immunitates concedere. Non tamen id efficere, ut Scholæ illæ in aliorum principum regnis, pro Academicis habeantur, si tamen accedat summi Pontificis approbatio, etiam illæ habentur ratae. Magni autem interest, supremas docentium cathedras, à summa potestate dependere.

Extracur-  
ritorium  
ius non est,  
sed proba-  
tas tamen  
Academias  
etiam extra  
ri venerat-  
tur.

Primo quidem locus deligendus est, studiosis accommodus: In quo requiro aëris subtilitatem, salubritatemque; Fertilitatem, aut faciles accessus, quibus necessaria importari queant, celebritatemque etiam, & ciues bene moratos.

vrbes Aca-  
demicae.

Aëris salubritatem in primis princeps aestimabit. Nam & ingeniis conducit, & corporum sanitati, incolas etiam meliores, & decenter moratos habet. Nollem itaque Thebis Boeotiis Academiam constitui, ne crasso in aëre, ingenia quoque politiora obbrutescant. Sed in ipsa Attica, Athenis artium inuentricibus, ubi est *ἐκαστὸν τῆς ἐμῆς*, ubi est totius Graeciae commune Musæum. Incolas enim dura, & rudis indole, ferre non possunt mitiores musæ.

Salubri.

Fœcun-